

CARMEN  
DE TORMENTIS  
AC LÆTO IN VITAM RE-  
DITV PONTIFICIS AC REGIS NO-  
STRI VNICI IESV CHRI-  
STI, CONSCRIPTVM

A  
SIMONE HILMANNO  
D O E B E L E N S I.



VVITEBERGÆ  
*Excudebant Clemens Schleich & An-  
thonius Schöne.*

ANNO  

---

M. D. LXXI.

CLARISSIMIS ET PRU-  
DENTISSIMIS VIRIS COSS: RE-  
liquisq; Senatoribus Reipub: Dæbelensis, Do-  
minis & Patronis suis observandis.

VIRI graues, multisq; digni laudibus  
Doctrina quas virtusq; vestra promeret,  
In me satis cognouerim cum sæpius  
Vestrum paternum animum, fauoremq; optimum:  
(Præ cæteris verò mihi quid feceris  
Qui nomen Andreae gerisq; Matthiæ,  
Non est satis quod prædicem) non immemor  
Illorum ero, frui hoc detur dum lumine.  
Sed curta cum nobis suppellex sit domi,  
Ex hortuli nostri coronam flosculis  
Violisq;, quæ sunt ex cruore Filij  
Natae Dei, contexui: quæ si minus  
Sunt implicatae, quam decebat forsitan,  
Aptè: Voluntas sit satis vobis precor  
Amica, digna quæ suis est laudibus,  
Si quando deficit facultas: omnium  
Quod æquitas spondet mihi & candor grauis.  
Nec non fauor Sandere cognitus tuus.  
Et quod referre par pari ipse non queo,  
Multo vt Deus vobis rependat fœnore  
Opto, precorq;, vt illius vos plurimis  
Annis tegat clemens manus, vt singuli  
Valeatis, & saluis bonis & honoribus  
Animo beati sitis atq; corpore.

Simon Hilmannus Dæbelensis.

RAR A 277

CARMEN DE MORTE ET  
RESVRRECTIONE CHRISTI

SALVATORIS NOSTRI VNICI

*VT tunc cum Titan se verso limite flexit,  
Candida facta gelu est  
Constricta tellus frigore:  
Sic Sol Austrino dum rursus climate surgit,  
Gratia veris adest,  
Anni status pulcherrimus:  
Omnis ager fragrat, vestitur cespite campus,  
Mulcet & aura rosas  
Puellulis amabiles,  
Et quaecunq; vigent terris, auraq; fruuntur  
Voce sonante Deum  
Laudare certatim expetunt.  
Nam quis caelestis sileat benefacta parentis,  
Diuite fundit opes  
Cornu suas qui singulis?  
Et quia festa dies cunctis venerabilis instat,  
Victima sacra Deo  
Qua factus est Christus Patri:  
Vt genus humanum iusta de clade leuaret,  
Quam dedit Heua parens  
Decepta misera fraudibus:  
Huc ades o sanctum caeli spirabile numen,  
A ij Quo*

Quo sine perficitur  
Susceptus haud faustè labor.  
Nunc vt spontè fluat numeros mihi carmen ad aptos,  
Spiret & aura meae  
Navis secunda linteo:  
Dum tentat celebrare ingentia munera Christi  
Freta fauore tuo  
Thalia nostra paululum.  
CVM celsi Christus liquisset culmina caeli,  
E gremioq; Patris  
Descenderat volens sui:  
Et verè humano conceptus more modoq;  
Factus homo fuerat  
Nostram sibi massam vniens,  
Quartus & in cursu nec non tricesimus annus  
Post sacra Christe tui  
Natalis esset tempora.  
Instaretq; dies, fieres vt victima letho,  
Concinuere pij  
De te Prophetae sicuti,  
Non procul hortus erat, varijs cultissimus herbis  
Tendit iter celeri  
Ad quem Dei natus pede.  
Inter & orandum lachrymans, Pater optime, dixit,  
Quam potes, adfer opem  
Mibi relicto ab omnibus.  
Siq;

*Siq̄ potest fieri, Pater hinc ō transeat à me,  
( Iussa volens peragam )  
Nunc adferens mortem, calix.*

*Talia vix fatus, magna comitante caterua  
Proditor ecce venit,  
Et osculis Christum excipit:*

*Stringuntur duris Domini pia membra cathenis,  
Præsidis ante thronum  
Instar rei q̄ sistitur.*

*Ilico discipuli, duce capto, vertere terga  
Incipiunt, pedibus  
Et mox salutem quærere.*

*Confluit interea confertim ad Præsidis ædes  
Pontificum ordo frequens.  
Diras animo spirans minas:*

*Adducunt falsos, qui intendant crimina, testes,  
Conspuitur q̄ modis  
Facies Iesu plurimis.*

*Nil tamen irarum sæuus sua concipit intra  
Corda, nec aspra mouet  
Contra ipse linguæ prælia.*

*Nec tamen his potuit tetros placare furores,  
Pontificum q̄ minas,  
Ne sterneretur innocens.*

*Baiulat ergo crucem, Solyma depulsus ab vrbe  
Ad loca supplicij,  
A ij Rubenti*

Rubenti amictus purpura:  
Inq̄ trabem expansis manibus transfigitur: hinc mox  
Transit & hasta latus  
Pro noxijs innoxij.  
Ac caput inclinans compellat voce suprema,  
Qui regit omne, Patrem,  
Expirat atq̄ protinus.  
Ecce quid hoc? tellus tremit imis sedibus ipsa,  
Dissilvère iugis  
Et saxa ruptis illico.  
Sol sese abscondit, toti nox incubat orbi,  
Tristia fata Dei  
Videre nec vult filij:  
Corpora multorum clausis rediuvia sepulchris,  
Quæ putrefacta putes,  
Sunt visa viua plurimis.  
Tantæ erat humanæ molis reparare salutem,  
Primus Adamus homo  
Quam perdidit lapsu suo.  
Aufertur tandem sacro de stipite corpus,  
In tumulumq̄ novum,  
De more gentis, conditur.  
Excubat ad Christi, collecto milite, bustum  
Pontificum rabies,  
Ne quis cadauer auferat  
Omnia sic fieri decuit, quæcunq̄ Prophetæ  
Præci<sup>o</sup>



Præcinnuere diu  
Pleni sacrato numine.  
Iam stygius, ceu victor ouans, gaudere Tyrannus,  
Nigraq; tecta nigri  
Vno ore regis cæperant.  
Perdita quinetiam mors iniēcisse putabat  
Se sua vincula Deo,  
Mortalibus ceu cæteris.  
At cum vix lucem terris aurora tulisset  
Tertia, morte redux  
Victa resurgit fortiter,  
Hostibus & victis, spolijsq; decorus opimis,  
Cælica tecta subit,  
Viamq; nobis præparat:  
Excipit exultans quem rursus regia cæli,  
Atq; Deo reduci  
Sono, ore, tuba concinit.  
Qui sedet ad dextram Patris super omnia princeps,  
Et regit astra poli,  
Ac ima terræ sustinet.  
I nunc & Christum gelidis include sepulchris,  
Omnia cui facile est  
Nutu vnico peruertere.  
Fracta iacet stygij truculenta potentia regis,  
Et sua regna Satan  
Amisit, & mors concidit:

Non

Non etenim morimur summo iam vindice Christo,  
Sed mage nostra fouet  
Mors membra ceu suavis sopor.  
Huic modò fidamus, victa qui morte salutem  
Iusticiamq; refert  
Nobis, necatus in cruce.  
Christe salus mundi, nigri spoliator Auerni,  
Vera Dei soboles,  
Et vera Patris hostia,  
Asspice nos clemens, sceleris quos sarcina turbat,  
Vulneribus recrea  
Tuisq; nostra vulnera.  
Et quia nunc instant fugiente crepuscula Sole,  
Limina nostra precor  
Subire ne Christe abnuas.  
Nam sine te nos nil, sed cum te possumus omne,  
O via, vita, salus,  
Nosterq; portus vnicus.


δοξα τω θεω.



DAR A 2m







CARMEN  
TORMENTIS  
ÆTO IN VITAM RE  
PONTIFICIS AC REGIS NO  
RI VNICI IESV CHRI  
STI, CONSCRIPTVM

A  
ONE HILMANNO  
D OEBELENSI.



WITEBERGÆ  
ebant Clemens Schleich & An  
thonius Schöne.

ANNO  
M. D. LXXI.

